

habent potentiæ, quæ constituunt aliquod subjectum ut causam principalem; tales enim primo et directe habent respicere operationem. Quæ autem non habent rationem principii directe et per se, sed ministerialiter, et dependenter a causa et principio principali, non habent rationem potentiæ nisi reductive, et secundo, et secundum quid. Character ergo cum detur tantum ut potentia ministerialis et instrumentalis, non directe, sed reductive et secundo pertinebit ad speciem potentiæ; non enim deservit causæ principali, ut per eam tamquam per formam agat sibi simile, sed solum deservit causæ instrumentali, ut ministret in effectibus sacramentalibus causæ principali; ergo de se solum habet esse reductive potentia, tamquam ministerialis, et non principalis ratio agendi.

CLXI. In quo distinguitur a potentiis quæ deserviunt causæ principali, seu substantiæ. Licet enim dicantur instrumenta substantiæ, tamen non sunt instrumentalis ratio agendi, sed dantur ut formæ, quibus substantia ipsa constituatur in ratione causæ principalis. Character autem non datur ut forma, et ratio agendi alicui causæ principali, sed ut ratio agendi instrumentalis, et ideo non est directe et primo potentia, sed reductive.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CLXII. Sed objicitur primo: Nam character est directe, et non reductive qualitas, et in prædicamento qualitatibus, si quidem est quoddam ens permanens, et habens firmum esse, quod proinde in aliquo prædicamento esse debet; sed impossibile est quod aliquid pertineat directe ad aliquod prædicamentum nisi mediante aliquo genere et specie; ergo

debet directe pertinere ad aliquod genus et speciem talis prædicamenti. Sicut ergo character non est qualitas reductive, sed directe, ita et est species qualitatibus (scilicet potentia) non reductive, sed directe.

CLXIII. Et confirmatur primo, quia character non est reductive in prædicamento, sed directe, alias non differret a motione instrumentali sacramentorum, quæ etiam reductive pertinet ad prædicamentum sui termini; ergo etiam directe debet pertinere ad aliquod genus et speciem, si quidem non potest intrare prædicamentum, nisi mediante aliquo genere et specie.

CLXIV. Confirmatur secundo, quia S. Thomas dicit in iv, dist. iv, quæst. i, art. i, quod: « Character pertinet ad qualitatem et speciem potentiæ, sicut alii habitus infusi ad primam speciem qualitatibus; » sed habitus infusi directe et non reductive ponuntur: ergo et character.

CLXV. Ad principale argumentum respondetur, non repugnare quod aliquid directe, et per se pertineat ad aliquod prædicamentum, et tamen solum reductive pertineat ad genus vel speciem talis prædicamenti. Cum enim perfecta et tota ratio superior non dependeat, sed abstrahat a differentiis contrahentibus, et constituentibus species, bene potest contingere quod aliquid habeat id quod pertinet ad rationem superiorem perfecte et univoce, non tamen perfecte attingat differentiam aliquam, quia in illo genere est quid imperfectum. Sicut embryo, verbi gratia, est directe et per se substantia, quia convenit in illa ratione univoca constitutiva substantiæ ut sic; quia tamen imperfecte attingit rationem differentialem animalis, ideo reductive tantum est in genere animalis; per se autem in prædicamento et genere substantiæ. Si enim

ratio superior et communis abstrahit a differentiis, et habet perfectionem suam seclusis differentiis (si quidem differentiæ sunt extra genus) non repugnat quod aliquid participet totam illam rationem communem, et tamen non perveniat ad hoc, ut participet totam rationem differentialem perfecte et adæquate, et tunc erit reductive in tali genere, per se autem in prædicamento.

CLXVI. Itaque in illo gradu seu ratione quam perfecte participat, non est reductive, sed per se; quoad illam autem rationem quam imperfecte participat, solum reductive pertinebit. Et hoc modo se habet character, quod rationem et gradum qualitatibus perfecte participat; differentialem autem rationem potentiæ imperfecte; et quia potentia non est species atoma, sed subalterna, quæ simul est genus, ideo S. Thomas dicit, quod in genere et specie ponitur reductive, id est, in genere subalterno, licet in genere supremo conveniat directe; nec est necesse quod aliquid pertineat directe ad prædicamentum, nisi mediante aliquo genere et specie, ad quam etiam directe pertineat, sed sufficit quod reducat ad aliquam speciem, perfecte tamen ipsam rationem et gradum communem participet, licet non perfecte attingat differentialem rationem aliquam; et sic ad nullum genus et speciem determinatam directe pertineat, sed reductive.

CLXVII. Ex quo patet ad primam confirmationem; stat enim quod aliquid per se intret prædicamentum aliquod, quia per se convenit in integra et perfecta ratione communi, reductive autem pertineat ad speciem et genus, quia imperfecte attingit talem gradum ob sui imperfectionem. Ad secundam confirmationem dicitur, quod quando S. Thomas dicit, characterem esse qualitatem, et pertinere ad potentiam si-

cut habitus infusi pertinent ad habitum, ly sicut non parificare in omnibus, sed in ratione communi, videlicet, quod nec habitus infusi, nec character a prædicamento qualitatibus excludendi sunt. Expresse enim ibi dicit S. Thomas, quod: « Ad secundam speciem qualitatibus reducitur character; et quod potentiæ absolvendi, conficiendi, etc. ad secundam speciem qualitatibus reducuntur; sicut habitus infusi, inquit, in eadem specie sunt cum habitibus naturalibus. » Ubi patet non æquiparare habitus et characterem quantum ad modum intrandi speciem qualitatibus, sed quantum ad hoc quod non debent ad aliud prædicamentum pertinere, quam ad qualitatem, ad quam pertinent aliæ qualitates naturales. Hoc enim ibi intendebat argumentum; vel saltem vult, quod utrumque per se pertinet ad prædicamentum qualitatibus, licet non eodem modo ad speciem; et ita de habitibus infusis dicit, quod: « Sunt in eadem specie; » de characterem autem: « Quod reducitur. »

CLXVIII. Secundo arguitur: Character est qualitas quædam permanens, in anima inhærens: ergo debet ad aliquam speciem, non solum reductive, sed per se directe pertinere. Patet consequentia, nam character non se habet ut via, et tendentia ad aliud perfectius, ad quod reducat, sed est quid permanens, et terminus directus actionis imprimantis illum: ergo oportet quod in se habeat rationem alicujus speciei, et non ad aliquam ulteriorem reducatur, si quidem non est via ad ulteriorem, alias eodem modo se haberet sicut virtus sacramentalis, quæ est motio.

CLXIX. Confirmatur primo, nam bene stat quod aliquid sit directe in una specie, et reductive in alia, quia habet modum illius; sicut patet de habitibus infusis, qui sunt

per se habitus, et habent modum potentiae: ergo similiter character erit directe aliqua dispositio ornans animam, et reductive erit potentia. Quod autem per se nullam speciem habeat, videtur impossibile, cum sit entitas quaedam permanens, et actionem aliquam determinatam terminans, ita quod ulteriorem perfectionem non respicit nec expectat: ergo debet ad aliquam speciem per se pertinere.

CLXX. Confirmatur secundo, quia genus non potest esse sine specie, nec individuum sine specie; sed character est per se genus qualitatis, et per se individuum, cum sit hæc numero entitas hac determinata actione impressa: ergo etiam debet per se habere aliquam speciem, quæ sit sub tali genere, et contrahatur ad tale individuum; vel si reductive solum pertineat ad aliquam speciem, oportet quod signetur species infima ad quam reductive pertineat.

CLXXI. Ad principale argumentum respondetur, negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod character non ponitur reductive in specie potentiae, quia sit via et tendentia ad ulteriorem terminum, sed quia sit imperfectum in genere principii, quia scilicet est potentia et principium tantum instrumentaliter et ministerialiter deserviens, nec perfectam habens rationem principii, si quidem non potest operari ut assimilans sibi effectum.

CLXXII. Quare non omne quod reductitur ad qualitatem, ideo reductitur quia sit adhuc in via et tendentia ad perfectam rationem et speciem qualitatis, sed sufficit quod imperfecte participet rationem speciei, ad quam debet pertinere; et quia character imperfecte participat rationem principii operativi vel passivi, ideo reductive pertinet ad spe-

ciem potentiae, licet per determinatam actionem imprimatur. Actio enim determinata non solum perfectam, sed etiam imperfectam speciem qualitatis potest producere, quia illa qualitas non plus exigit ad sui rationem, quam esse instrumentalem et ministerialem potentiam, quod est esse imperfectum quid in genere potentiae: oportet tamen quod per aliquam actionem derive-tur et producat, sicut videmus quod impulsus per aliquam actionem imprimatur, qui tamen est solum imperfecte et reductive potentia.

LXXIII. Ad primam confirmationem respondetur, esse disparem actionem de habitibus infusis et de characteribus, nam habitus infusi habent per se esse principia determinata actuum supernaturalium per modum disponentis subjectum ad finem excedentem naturam; unde licet habeant modum potentiae, quantum ad hoc quod totam activitatem proportionatam respectu suorum actuum præbeant potentiae, et non præsupponant illam in potentia, sed solum analogicam, tamen quia activitatem hanc præbent quasi determinando potentiam, et peculiarem rationem agendi ei præbendo intra latitudinem suæ rationis formalis, eo efficiendo subjectum convenienter ut dirigatur ad talem finem, ideo habent rationem habitus, quia non solum respiciunt ipsum operari, sed etiam convenientiam ad subjectum, et quod subjectum bene disponatur, et sic non tribuunt indifferentiam in hac parte; unde et constituunt agens in ratione causæ principalis, proindeque directe pertinent ad speciem aliquam qualitatis.

CLXXIV. At vero character solum habet tribuere ministeriale principium operationum sacramentalium, nec respicit quod fiant conve-

nienter vel disconvenienter ad subjectum, sed quod simpliciter fiant; nec constituit principalem rationem agendi, nec in principali agente ponitur, unde solum reductive, et non directe habere debet rationem principii seu potentiae. Quia ergo ex una parte non habet disponere ullo modo subjectum convenienter aut disconvenienter, et ex alia habet rationem principii imperfecte et reductive, ideo non se habet sicut habitus infusi, sed solum reductive pertinet ad potentiam.

CLXXV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod character, et instrumentalia principia, nec sunt directe in genere subalterno, nec in specie atoma; et consequenter neque sunt individua directalia specierum, seu directe participantia rationem potentiae. Et licet univoce et æqualiter participant supremam rationem qualitatis, tamen non pertingunt ad hoc ut perfecte differentialem, et inferiorem gradum participant, et ideo per se habent esse qualitates, non tamen per se habent esse potentiae, sicut embryo est per se corpus, non tamen per se est animal. Et similiter potest dici quod embryo est individuum per se corporis, non tamen est individuum per se animalis: et sic non est simpliciter individuum in genere substantiae, quia non directe participat speciem infimam substantiae. Similiter character est per se individuum qualitatis, et est entitas individuata ex subjecto; quia tamen non habet perfecte, sed solum reductive speciem qualitatis, ideo non est individuum potentiae simpliciter, nec per se in prædicamento et serie qualitatis, licet sit per se individuum genericum qualitatis, non tamen individuum potentiae, et individuum absolute.

CLXXVI. Advertendum est autem,

quod cum character reductive pertineat ad speciem, seu genus potentiae, ipsi characteres specie distinguuntur inter se tamquam species quaedam imperfectæ, et reductive intra tale genus; distinguuntur autem per ordinem ad diversos effectus, quia potentiae seu principia operationum per ordinem ad diversas operationes et effectus distinguuntur. Et ita quod sit principium passivum character baptismalis, et sit principium activum character ordinis, differentiam specificam dicit. Et similiter quod character ordinis sit potentia activa in ordine ad actiones hierarchicas et sacras, et character confirmationis in ordine ad profitendam fidem, differentiam specificam importat. Sic etiam videmus plures potentias instrumentales distingui specie intra latitudinem imperfectæ potentiae, et quæ tantum reductive est potentia, ut calamus, penicillus, actus, etc. secundum quod instrumentalia principia sunt.

CLXXVII. Tertio arguitur: Potentia passiva in characteribus baptismali non est reductive solum potentia passiva, sed directe: ergo illa per se erit potentia, et non reductive tantum. Antecedens patet, nam potentia passiva non potest esse instrumentalis; causa enim instrumentalis reductitur ad efficientem, efficiens autem non potest esse potentia passiva, sed activa. Et deinde quia passiva potentia solum ordinatur ad recipiendum, in recipiendo autem non intervenit operatio instrumentalis: ergo potentia passiva non est potentia instrumentalis.

CLXXVIII. Confirmatur, nam rationes S. Thomæ, quibus ostendit esse reductive in genere potentiae, sunt nullæ: quod enim dicit, characterem esse potentiam instrumentalem, non valet, nam etiam accidentia sunt instrumenta substantiae,

ut patet in potentiis animæ, et in calore respectu ignis, et tamen non reductive, sed per se sunt in specie potentiæ: ergo ex eo quod character sit virtus et potentia instrumentalis, non tollitur quin per se sit species potentiæ.

CLXXIX. De inde quod dicit, habere se sicut motionem sacramentalem, quæ est virtus sacramenti, reductive tantum pertinens ad potentiam, etiam non tenet, quia virtus sacramenti non est qualitas permanens, et ideo solum reductive pertinet ad speciem potentiæ; at vero character est qualitas permanens, et virtus habens esse permanentem, quæ non reductive, sed essentialiter debet pertinere ad speciem potentiæ: ergo illud exemplum non valet.

CLXXX. Denique dicere quod character sit imperfecta qualitas, etiam non valet, nam calor est quid multo imperfectius quam character, et tamen calor per se ponitur in specie potentiæ respectu ignis: ergo etiam character cum sit qualitas perfectior, et potentia perfectior, per se et non reductive ponetur in specie potentiæ.

CLXXXI. Ad argumentum principale respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod potentia passiva non est instrumentalis, efficienter concedo; sacramentaliter, seu ministerialiter, nego. Datur enim potentia passiva, non ut aliquid entitative, seu in genere accidentis vel formæ recipiatur materialiter, sed ut sacramentaliter recipiatur: est autem sacramentaliter recipere, cum debita intentione habituali, vel virtuali, vel actuali recipere: unde non est pure principaliter recipere. Et forte etiam character baptismalis suscipit etiam entitative et physice alios characteres, et gratias sacramentales; et tunc dicitur potentia pas-

siva instrumentalis, et reductive potentia, quia non constituit hominem ut connaturaliter suscipiat, et tamquam propriam formam, sed ut ministerialiter suscipiat, seu in ordine ad exercendum opus ministerialiter; unde solum datur illa potentia passiva, ut tamquam minister se habeat in actibus, seu formis suscipiendis, seu in recipiendis his, quæ ad ministerialiter se habendum pertinent; non autem ut tamquam principale susceptivum se habeat, seu in ordine ad formas, quas principaliter et tamquam connaturales sibi suscipiat.

CLXXXII. Et licet ad recipiendum tales formas in genere entis seu accidentis, sola natura animæ, aut potentiæ sufficerent, sicut et ipsæ suscipiunt characterem, tamen ad recipiendum illas ex officio et sacramentaliter (etsi physice suscipiantur) requiritur character, mediante quo valide suscipitur sacramentum, et gratia sacramentalis; alique characteres recipiuntur ut in subjecto postulante illa, non ex connaturalitate causæ principalis, sed ex connaturalitate officii et ministerii; ideoque etiam in suscipiendo ministerialis causa est, licet in recipiendis illis in ratione entis nulla ratio ministerii attendatur.

CLXXXIII. Ad confirmationem negatur antecedens; et ad probationem primæ rationis dico, aliud esse quod aliqua potentia sit virtus instrumentalis, aliud quod sit instrumentum naturæ et substantiæ. Calor enim in igne, aut potentiæ in anima, licet sint instrumenta et facultates agendi, tamen sunt virtus causæ principalis, et per illas constituitur subjectum in ratione causæ principalis, et ad modum causæ principalis operatur; illa autem potentia quæ sic datur subjecto, ut illud non in ratione causæ principalis, sed instrumentalis constituat,

quia virtus illa non est virtus agendi simpliciter, sed agendi ministerialiter et instrumentaliter, talis potentia non solum est instrumentum ad operandum ipsi subjecto, sed virtus instrumentalis; non ab ipso subjecto, sed a causa principali derivata et pendens. Illa autem virtus quæ est instrumentum sui subjecti, supponit quod ipsum subjectum est causa principalis; et ita est virtus causæ principalis, non autem virtus quæ subjectum constituat instrumentum alterius causæ principalis.

CLXXXIV. Ad secundam probationem respondetur, exemplum illud S. Thomæ non tenere in omnibus, sed in hoc, quod sicut motio sacramentalis est virtus instrumentaria, efficaciter per modum motionis actuans instrumentum, sic etiam character est potentia instrumentalis et ministerialis, per modum principii efficiens subjectum, ut reddatur sibi debitum et quasi connaturale habere elevationem et motionem instrumentalem; et sicut una, pro ea parte qua est instrumentalis virtus, reductive et non directe est in genere, sic quia character est instrumentaria potentia, reductive et non per se est potentia.

CLXXXV. Ad tertiam probationem respondetur, quod licet character sit perfectior qualitas quam calor, non tamen perfectior potentia, quia licet sit qualitas spiritualis, non tamen attingit modum illum potentiæ proprium, quo non instrumentaliter, sed proprie agat. Et bene stat, quod aliquid sit perfectius altero, et tamen non per se, sed reductive solum sit in genere vel specie; alterum vero imperfectius sit directe, sicut lapis est quid imperfectius embryone, et tamen embryo reductive est in suo genere et specie, lapis vero directe. Et ita

cum in suo proprio genere (scilicet potentiæ supernaturalis) character sit quid imperfectum, calor vero in genere potentiæ naturalis sit perfectus, ideo character reductive, calor vero per se pertinet ad potentiam, quæ est secunda species.

CLXXXVI. Quarto arguitur: Character non analogatur cum aliis qualitatibus, nec cum aliis potentiis, sed univoce est qualitas et potentia, alias non pertineret ad prædicamentum qualitatis; ergo non est reductive qualitas aut potentia, sed simpliciter. Consequentia patet, nam quod reductive est in aliquo genere aut specie, secundum quid pertinet ad tale genus aut speciem; ergo analogice convenit cum aliis, quæ directe et simpliciter pertinent ad talem speciem aut genus.

CLXXXVII. Respondetur, characterem non esse analogice qualitatem, quia perfecte et æqualiter illam rationem supremam qualitatis participat; et ita absolute et univoce pertinet ad prædicamentum qualitatis; nec enim character ad aliud pertinet prædicamentum, aut ad nullum, alias esset sicut motio sacramentalis. Quia tamen reductive solum et imperfecte est potentia, ita quod non attingit essentialem rationem potentiæ, ideo non est inconveniens quod analogice sit potentia, et solum secundum quid, sicut embryo hominis univoce est corpus et substantia, analogice autem est homo, quia nondum habet animam rationalem, et tamen reductitur ad speciem hominis: sic in præsentem character est univoce qualitas, analogice autem potentia, quia solum secundum quid est potentia, et imperfecte et reductive, tamquam ministerialis et instrumentalis, non per simpliciter operativa.